



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Theologia Universa**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

De Missione etiam Castrensi ac Navali Resolutiones maximè singulares  
exponuntur ac resolvuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38477**

fautores, scilicet in negotio hæresis, ut si quis eos defendat, vel abdat, dum propter hæresim queruntur ab Inquisitoribus, etsi non ideo receperint quia sunt hæretici, ut notat *Toletus*. Aliàs licitum est iis favere, quia v. g. sunt consanguinei. Eâdem Bullâ ligantur Credentes Hæreticorum, quales sunt qui dicunt se credere quod credit alius aperte Hæreticus, licet nulum huius articulum determinatè discrederent.

2. Fiant Irregulares, Cap. *Saluberrimum*, causa 1. qu. 7. Cap. *quicumque* Cap. *statutum*. 2. Eodem Titulo in 6. ubi declarantur Irregulares etiam filii, & nepotes usque ad secundum gradum in linea paterna, in linea verò materna tantum filii; quod tamen intelligendum est de filiis natis post hæresim, & quorum Parentes in hæresi decesserint. 3. Privantur Ecclesiasticâ sepulturâ Cap. illo, *quicumque*. Uti & eorum credentes, fautores &c. Quare duplici causa non licet Hæreticos sic sepelire, & quia sunt hæretici, & quia Excommunicati.

4. Nullos actus Ordinis licitè exercent, quia Excommunicati. Dixi, licitè, quia possunt validè in quibus non est opus jurisdictione, quare validè conferunt Sacramenta, & Episcopus hæreticus validè ordinar, sicut & retinet Characterem. Adhuc, in quibus non est opus jurisdictione, quia hoc ipso quo sunt hæretici, desinunt esse Ecclesiæ membra & capita, ac consequenter amittunt Capitulum, seu Pastorum jurisdictionem potestatem; quamdiu tamen retinent Titulum coloratum, eorum defectum supplet Ecclesiâ, ut alibi diximus.

5. Sunt inhabiles ad omnia beneficia, Cap. illo, *quicumque*. 6. Privantur dignitatibus, honoribus, beneficiis, & officiis, Cap. *ut commissi*, eodem Titulo. Probabile tamen est hanc pœnam non esse sententiæ lætæ, sed ferendæ, ut indicatur Cap. *ut commissi*. 7. Fiant infames, Cap. *Excommunicamus*. 1. §. Atque hæc tria valent quoque de eorum fautoribus, credentibus &c. Ultimò adde, easdem pœnas infligi Apostatis, à fide scilicet, qui simpliciter dicuntur Apostatæ, non ab Ordine, aut Religione. Idem dicendum de eorum fautoribus &c. Cap. *Contra Christianos*, Eodem Titulo in 6. & Cap. *ad abolendam* citato, & Bullâ Cœnæ.

Nota tamen primò, cum communiori sententiâ contra *Cajetanum*, has pœnas non incurri ab eo qui cum gravi peccato hæresim exterius simulat, nisi etiam interius in animo, & intellectu hæresi assentiatur. Quia talis propriè & simpliciter non est hæreticus, adeoque legibus pœnam infligentibus comprehendendi non videtur, quia illæ sunt strictè interpretandæ; quamvis illæ in foro externo hæreticus esse præsumeretur.

Nota secundò, Non sufficere hæresim merè internam, ut pœnæ illæ incurrantur, nisi hæresis interna aliquo signo externo prodatur. Est hæc communior sententiâ Theologorum; quia censent Ecclesiam saltem jam non intendere pœnas illas tanto rigore ad illos extendere qui formalis hæresis sufficiens signum non ediderunt, nec pertinaciam suam exterius aliis manifestarunt.

Multò minus formaliter hæretici sunt, & pœnis dictis obnoxii, qui ab infantia in erroribus adoleverunt, & vix tenam percipiunt veræ Ecclesiæ notitiam, quæ possit illis seculum injicere; quales de factò plurimos reperiri, & pœnas hæreticorum non incurere, probat solidè *P. Ant. Terillius*, contra *Celladeum*, Part. 2.

Pag. 243. Hujus Terilli Opus, communi iudicio sane accuratissimum, nimis acerbè tractare videtur recens Scriptor *Jacobus à S. Dominico* Pag. 159. asserens in toto Terilli Tractatu de Conscientiâ, præter falsas suppositiones, vel ejus novas adinventiones, vix quidquam reperiri, quod vel in speciem verum dici possit. Sed hæc verba sunt, non argumenta, quæ majori studio depromenda fuerunt, si voluit ille dictis suis fidem facere, & Terilli doctrinam labefactare.

## PRO MISSIONE CASTRENSI, ET NAVALI.

### QUÆSTIO I.

**A**N in Militiâ Tribunus, Capitanei, aut Commissarii, ratione stipendii dimidiati, aut male sibi persoluti, possint in militum lustratione tot ficta nomina conferre & inducere, quot sufficiunt ad supplendum stipendium quod ipsis à Rege debetur?

Visa est aliquibus praxis illa non illicita: Primò, quia quando constat aliquid justè deberi, & non posse viâ justitiæ obtineri, licitum videtur debitum illud alio modo compensare. Secundò, Illi qui Patriam gubernant satis norunt has artes per ficta nomina exerceri, neque tamen videntur requirere ut illis remedia apponantur, censendi igitur sunt connivere, & hanc praxim permittere: & hoc videtur insinuare *Lessius* in *Posthumis Ver. Bellum* Pag. 150.

Respondeo tamen, ob alias rationes praxim illam non esse æquitati consentaneam. Primò, Quia isto modo nequit poni compensatio sine fallacia & falsitate, majorem numerum militum pro minori exhibendo, & affirmando illum actum sub signis lustrari. Secundò, Ille modus compensationis stipendii adjuncta habet maxima Reip. detrimenta, ex quibus possit patria periclitari, dum falsò supponitur in exercitu, aut præsidis versari multo majorem militum numerum, & qui possit sufficere ad justam defensionem. Tertio, Qui illa officia amplectuntur, satis norunt sibi sperandam non esse integram stipendii solutionem, nec tamen dubitare eandem cum ceteris conditionem sponte subire. Quarto, Illi Officiales accipiunt Patientes, in quibus continetur stipendium ipsis tribuendum *quomodo & quando* ceteris de exercitu persolvitur, nequeunt igitur illud sibi tali modo de jure vindicare, & cum tanto rei communis detrimento.

Ex his patet responsio ad primam rationem contrariæ sententiæ supra allatam. Negatur enim licitam esse rei debitæ compensationem mediante fraude & falsitate: & per actionem Reipublicæ adeo perniciosam: & contra fidelitatem, quam illi promittunt Regi in sui officii administratione. Adde, etiam in casu, quo licitum esset sua debita occultè recuperare, incumbere obligationem indicandæ debitori sibi jam satisfactum esse, si forte solutio denuò postulanda esset. Tantum verò abest ut hoc præstent illi, Officiales, ut potius oblata occasione pro se, aut post mortem pro suis viduis, exigant iterum pendenda stipendia, aut sibi conferri promotionem aliquam stipendiis æquivalentem.

Ad secundam rationem: Verum non est Gubernatores patriæ connivere: & hanc praxim ultrò permittere. Quia tales Officiales ad eos delati punirentur, & ali-



& aliqui puniti fuerunt, & in ordinem gregatorum redacti. Quod autem non curent in eos adeo severe inquiri, sit ex eo, quod nolint forte offensionem præbere viris fortibus & necessariis, qui à militia deficerent.

Nota tamen primò, P. Lessium, loco supra citato, testari, Principem Parmensem Patribus nostris aliquando respondisse, non esse faciendum scrupulum Capitaneis ob 4. aut 5. placas muertas, ut vocant. Sed an eadem sit mens & indulgentia modernis Gubernatoribus, non nisi ex ipsis constare potest.

Nota 2. Usu in militia recepto Capitaneis concedi locum mortuum pro duobus aut tribus famulis, & unum pro signifero, etsi famulos actu non habeant.

#### QUÆSTIO II.

Quando milites post lustrum moriuntur aut fugiant, an jus ad stipendium, quod ipsis remanet debitum, devolvatur ad eorum ducem, an verò ad hæredes?

Respondeo, Communi jure devolvi ad hæredes ab intestato, sicut aliæ actiones & credita defunctorum: nec apparet ratio quæ ducibus jus ad stipendium alienum concedat. Si tamen Capitaneus dederit militi pecunias mutuas, potest ex stipendiis illi à morte aut fuga debitis, tantum sibi reservare quantum ille concessit. Quia cum onera defunctorum transeant etiam ad hæredes, debent hi contenti esse ut creditor sibi hac ratione satisfaciatur.

#### QUÆSTIO III.

Quando Rex transcribit summam pecuniæ in stipendia militaria, an hoc quod superest post lustrum & stipendia soluta, possint sibi retinere capitanei aut tribuni, quando sciunt Commissarios sibi retenturos si illis reddatur.

Respondeo negativè, si alium detinendi Titulum non habeant. Hoc enim tantumdem foret ac si quis pecuniam alienam sibi occuparet, eà tantum ratione, quod si illam non accipiat, ab alio fure sit præripienda.

#### QUÆSTIO IV.

AN licitum sit militare in Bello de cujus justitia miles habet opinionem tantum probabilem?

Respondeo affirmativè, & quando aliæ non suppetunt rationes, dico sufficere quod judicet Principem, qui bellum indicit, vel sustinet, esse virum prudentem & bonæ conscientiæ, nec seduci à pravis consiliariis; & è contra adversarium non adeo pium, ac prudentem esse. Prudenter enim agit miles se conformando auctoritati aliorum, quamdiu nihil habet certi quo auctoritas illa elidatur. Ita docet *Diana* pluribus Part. II. Tract. 5. Resol. 28. & *Scildere* de principiis Conscien. Tract. 2. P. 164.

QUÆRES, Quid dicendum, quando miles de justitia belli positivè dubitat?

Respondeo, non licere eo casu militare, si non possit dubium illud vincere, ut docet supra *Scildere*, *Diana*, & *Ariaga* Disp. 16. Sect. 5. Num. 36. In bello tamen defensivo dubitans de jure Regis qui bello impetit, & qui bonâ fide regnum possidet, militare potest, & dubium deponere, ex principio generali, quod in dubio melior sit conditio bonâ fide possiden-

tis. Et plerumque excusari possunt milites à forensi peccato, quod persuasi ab aliis, per ignorantiam invincibilem rationum partis adversæ, ad bellum trahantur, ut notat cum aliis *Diana* Part. 4. Tract. 4. Resol. 32. qui addit illos posse militare utribet parte, etiam quando rationes probabiles pro justitia belli utrinque habeantur.

#### QUÆSTIO V.

AN in Castris possit Confessarius absolvere militem in prælio moribundos, etsi non dent illud signum vitæ Christianæ, quam quod militent in exercitu Catholico, in quo tamen aliqui hæretici sunt admixti?

Respondeo, tales posse absolvi sub hac conditione, si sis capax absolutionis. Ita etiam resolvit *Scildere* de principiis conscientiæ Tract. 6. P. 724. ubi addit citatum à *Caramuele* P. Saillars in literis ad ipsos datis Romæ 3. Novembris 1645. Ratio est, quia milites illi per professionem fidei Catholice satis indicant se velle in morte absolvi, & illa voluntas sufficienter indicata est Confessario per eos, qui significant hunc exercitum, in quo militent esse Catholicum. Nec refert quod aliqui in illo exercitu sint hæretici. Quia si in exercitu aliquo plerique forent Catechumeni, & pauci fideles sive baptizati, qui non possint discerni à Catechumenis, omnes sub conditione baptizari deberent, ut idem *Scildere* supra admittit.

Sed quid si exercitus sit hæreticus, in quo tamen pauci aliqui sunt Catholici, an omnes moribundi sub conditione absolvi debeant?

Resolvit ibidem *Scildere* negativè. Quia obdat reverentia Sacramenti ne sub conditione conferantur multis, quorum pars maxima absolute non vult absolutionem sibi conferri, quam credunt homini nihil prodesse: sic licet in Civitate aliqua dubium esset de paucis indeterminatis an fuerint valide baptizati, non ideo omnes urbis incolæ sub conditione rebaptizandi forent.

#### QUÆSTIO VI.

AN licitum sit Commissariis aliquos pagos capitaneis ac militibus onerare, ut ab aliis pagis se redimunt, pecuniam accipiant?

Respondeo negativè, Nullus enim assignari potest Titulus honestus quo possint Commissarii cum aliorum gravamine non legitimo illas pecunias extorque- re. Tenentur enim illi ex officio servare justitiam distributivam, ut quantum fieri potest pagi in quos milites sunt distribuendi æqualiter graventur: quando autem pagos aliquos acceptâ pecuniâ oneri communi subducunt, necesse est reliquos majori numero gravari: quod omnino iniquum est, nisi pecuniam illam in ipsorum onere levando insulant.

#### QUÆSTIO VII.

AN, & quomodo militibus, & aliis castra pabulati, licita sit pabulatio in terra non hostili.

Respondeo, & dico primò, licitam non esse pabulationem in terris amicorum, aut subditorum Regis, si satis pabuli ad castra advehatur, vel possit pretio comparari. Quia non videtur miles plus juris habere ad



aliena pascua, quam ad alienum gregem, panem, aut frumentum, quæ nequit in hoc casu sibi iuste usurpare; & ita docet Lessius in posthumis v. Bellum p. 150.

Dico secundò, Si pabulum sufficiens non advehatur, nec possit per inopiam pretio comparari, tunc locum habet doctrina de extrema necessitate, in qua censeferi debent pabula esse communia: sic tamen ut ille qui præ cæteris passus fuisset enorme damnum faciendâ sit compensatio, sicut fieri solet in rebus aliis magis pretii in extrema necessitate acceptis.

Sunt tamen qui existimant ex consuetudine communem receptam esse militum in Castris liberam pabulationem, tanquam onus commune prædiorum, quando pro utilitate Provinciæ bellum geritur: Et æquum esse ut divites quorum sunt prædia hoc onus sustineant, cum ex prædiis suis magna emolumenta aliis temporibus percipiant: Sicut rhedis, sericis vestibus, & aliis quæ in usu divitum potissimum versantur, iusta aliquando vœtigalia imponuntur, quæ ipsi præ aliis facile, possunt sustinere.

Propter hanc rationem & consuetudinem, si vere subit, non audeat Lessius supra, condemnare liberam illam pabulandi facultatem, si à Principe positivè permittatur, & pauperibus, si inde grave damnum passus fuerint, compensatio præstetur. Nam horum aliquos præ aliis enormiter gravare, nec ipsi Principi licitum, cum in oneribus imponendis teneatur servare iustitiam distributivam. An autem Principes talem potestatem pabulandi fecerint, facti quæstio est. Præsumptio aliqua in oppositum esse potest, quod permittant Magistratibus contra huiusmodi pabulatores potestatem ordinariam exercere: nec audeant viti magis prohi præfente Domino absque aliqua compensatione hanc libertatem sibi vindicare.

### QUÆSTIO VIII.

**A**N Missionario *NAVALI* licitum sit aliquando in ipsa navi celebrare, etiam dum actu navigantur?

Negant passim plurimi quos refert, & sequitur *Vaquez. Diss. 232. Cap. 3. Num. 4. Suarez. Diss. 81. Sct. 2. Bonacina. Diss. 4. Quæst. ult. puncto 9. Gavanna in Rubric. Missal. Part. 1. Tit. 20. aliique.*

Respondeo, tamen cum multis & probatis Theologis, id in utroque casu proposito licitum esse, quando non adest morale periculum, ne Calix navis agitatione effundatur, quale periculum in navibus præsertim grandioribus sæpius abesse multorum experientia testatur. Cum igitur talis celebratio nullo speciali jure prohibeatur, nulla adfertur sufficiens ratio cur occurrente causa idonea omitti debeat. Causas autem idoneas recenset *Leander de Sacrif. Missæ Tract. 8. Diss. 7. Quæst. 18.* Præceptum in Dominicis & Festis audiendi Missam: communicandi in Paschate: accipiendi Viaticum in mortis articulo. Possunt & aliæ causæ occurrere, nec video cur non possit aliquando sufficere singulare desiderium, & solatium vectorum, præsertim in diuturna navigatione. Hanc sententiam iusè defendit *Card. Lugo Diss. 20. Sct. 4. & Granadus Tract. 14. Diss. 13. Num. 2. Fagandez. Prag. 1. Lib. 3. Cap. 10. Hurtadus Diss. 4. Dissic. 6. Layman de Sacrif. Mis. Cap. 5. Num. 6. & plures alii.*

R. P. Arflek. Tom. II.

*Quæritur 2.* An liceat in navigiis aut triremibus sacram Eucharistiam permanenter servare? Negant id licere plerique Auctores qui nolunt licitum esse in navibus celebrare, ut *Henriquez. Lib. 9. Cap. 27.*

Sed respondeo cum pluribus, id omnino permitti, ubi in navigio reperitur locus decens, & à turba nautica satis separatus in quo S. Hostia servari possit. Quia id minus habet difficultatis quam Missæ celebratio, quam ostendimus à probatis Auctoribus admitti, & potest aliquando peculiaris usus, & necessitas ægrorum id postulare. Et quidem olim navigantes sacram Eucharistiam secum de terre consueverunt referre *D. Ambrosius & Metaphrastes*, ut admittit *Henriquez supra citatus*, nec hodie extat præceptum id prohibens, modò indecentia & irreverentia caveatur: idque disertè tradit *Leander à SS. Sacramento de Sacrif. Missæ Tract. 8. Diss. 7. Quæst. 19. & Granadus supra Num. 7. aliique.*

*Quæritur 3.* An licitum sit etiam in littore aram erigere, & Missam celebrare pro nautis & navigantibus, & in Castris pro militibus?

Respondeo, id licere dummodò habeatur altare portatile, & reliqua ad celebrationem requisita. Possè autem dictis locis celebrari, ut die festo Missa audatur, docet *Henriquez, Sà, Hurtado, Lugo aliique*, apud *Leandrum supra Quæst. 16.*

*Quæritur 4.* An si contingat ibi, aut etiam alibi, postinceptum Sacrum lumen extinguere, nec aliud commodè inveniri, possit Sacerdos sine lumine Sacrum continuare & perficere? Negat *Fagandez. Cap. 22. Num. 19.* nisi extinctum fuerit lumen post consecrationem.

Respondeo, probabilius videri posse Missam continuari in prædicto casu, etiam si lumen extinctum fuerit post Offertorium ante Consecrationem, quia jam oblata sunt ea, quæ postea erunt consecranda, nec potest tunc sine aliorum incommodo consecratio, & Sacrum omitti. Ita *Leander supra citans pro hac sententia Card. Lugo hic Diss. 20. Num. 77.*

## APPENDIX

### SUMMARIA

*Ad brevem ac practicam Directionem Confessarii & Dispositionem Pœnitentis in toto decursu CONFSSIONIS Sacramentalis.*

#### §. I.

*Observanda Confessario in principio, & decursu Confessionis.*

**P**Rimò, Impertit pœnitenti hanc benedictionem: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut dignè, & contritè confitearis peccata tua, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.* Postea, si Pœnitens loqui hæreat, animet illum benignè, ut incipiat fideret soli Deo, & suo Patri spirituali proferre omnia peccata quæ memoriæ occurrunt; & incipientem, sine causa, non facile interrumpat.

Kk

Si